exercitationesque uirtutum que in omni etate culte: cum multum diuque uixeris: mirificosque afferunt fructus: non solum quia numquam deserunt ne in extremo quidem tempore etatis: quamquam id maximum est: uerum etiam quia conscia bene acte uite multorumque benefactorum recordatio iocundissima est.

Nulle ne igitur res seniles sunt: que uel in firmis corporibus: animo tamen administrentur.

Nihil igitur agebat .Q. Maximus: et ceteri senes: cum rem .p. consilio et auctoritate defendebant.

Nihil igitur afferunt qui in re gerenda uersari senectutem negant: similesque sunt: ut siqui gubernatorem in nauigando agere nihil dicant: cum alii malos scandant: alii per foros cursent alii sentinam exauriant: Ille autem clauum tenens sedeat in puppi quietus non faciat ea que iuuenes: at uero multo maiora: et meliora facit: Non enim viribus: aut uelocitatibus: aut celeritate corporum res magne geruntur: Sed consilio: et auctoritate et sententia.

Nemo enim est tam senex qui se annum non pu-